

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

AMICO SUO INTIMO

S. D. P.

GEORGIUS CHRISTIANUS BURCKHARDT,

L. L. C.

TILSA-BORUSSUS.

Quod alias dici sœvit: esse Theologorum curare animam, & Medicorum sanare corpus: illud jamiam pedetentim ab his in dubium deduci incipit. Contingit enim nobis singulis fere diebus adversa valetudo, quæ corpori nostro ingentes infert afflictiones gravesque calamitates. Ad quas propulsandas quamquam diligentissima adhibenda sit circumspectio: hi tamen non raro periclitantur Medici, atque male applicata audit eorum cura, qui unice respiciendo corpus, omnem spem suam in ipsum collocant: cum contra consultissime instituitur ab his, qui eousque non subsistunt, sed præcipue ob mutationes intrinsecus corpori nostro obvenientes contemplationem suam ad aliud altioris indaginis objectum extendunt. Non duce eorum Theoria sed propria experientia ipsis credere nobis fas est, quod nempe effectus morbi diversi & quandoque mirifici maxime mediante dispositione animæ progignantur: Nam multa inde mala consequuntur, quæ mox mitiora, mox acerbiora, si adfectus animi, ut plurimum fit, excitantur, irritantur, atque commoventur. Stabilita itaque quadam œconomia inter corpus & animam hominis: recte dijudicant, utriusque quoque rationem habendam, quoniam, quoties quis in morbum incidit, ab eo non ex parte, sed in totum liberandus & simul causa ejus radicitus tollenda est; id quod sæpe vero minime fieri potest, considerato tantum alterutro. Hinc gravissimum petunt argumentum Medici, quo sibi jus æque ut Theologi dicunt, pro obtinenda facultate quadam administrandi animam nostram, quatenus se illorum auxilio subtrahere nequeat. Sunt Medici nobis ægrotantibus validissimo propu-